priori prorſus oppoſitum aggredi, rebellem ſpiritum, & cor inordinatum ſubjicere: *Neque enim mediocris virtutis eſt ab improbis ad honeſta, a terrenis ad æterna tranſire.* (*Pſal. 47.*) Attamen Sanctus idem ait, unica ſatis eſt inſpiratio, quæ perflet, ſi ita dicere fas eſt, Spiritus Sancti, ut omnia hæc fiant mirabilia. *P. la Peſſe Tomo 2.*

(Quo in pretio habenda ſit gratia.) Modico ſane habemus in pretio illecebras Dei, & gratiæ illius, cum negligimus efficere ut moris eſt, ut ejus virtus eluceſcat; & quid dico, negligimus, ſed illam rejicimus, atque contemnimus? Deus ſuam nobis tribuere vult amicitiam; certam regni Cœleſtis poſſeſſionem facere; gravia ſimul, ac turpia noſtrarum cupiditatum vincula infringere; perturbatis conſcientiis noſtris reddere tranquillitatem, noſque pretioſiſſimis benevolentiæ ſuæ beneficiis pares efficere. Nonne ut olim Samaritanæ, dicere jure nobis poſſet, *Si ſcires, ſi ſcires?* (*Joann. 4.*) Non prævidetis fatalem terminum errorum veſtrorum, in quem denique illidere poſſunt? Omnia hęc negotia, omneſque motus, quibus exercemini? Tempus evolans vos ad æternitatem adducit: Numquid hoc cogitas? *Si ſcires?* Nonne faſtiditis infidelitates mundi mendacis? Tamen hoc eſtis experti. Boni nonne majori ſunt in honore magiſque contenti quam vos? Nonne debetis aliquando invidere illis eam requiem, atque tranquillitatem qua perfruuntur? Gratia Dei ejuſque infinita miſericordia pacem illis adeo profundam procurat. Mirum eſt quod adeo parvo in diſcrimine animam veſtram habeatis; tandem enim ſaluti veſtræ nequaquam abrenuntiaſtis. Gratia hæc quam rejicitis, numquid eſt reverſura? Non agnoſcitis quomodo paulatim omnem exuitis ſenſum rerum cœleſtium, contemnentes, ut facitis, divinos afflatus. Sane veſtrum metipſorum eſtis inimici: ſane vos moveat periculum miſeræ æternitatis, in quam voſmet projjcitis. *P. la Peſſe Tomo 2.*

GRATIA SANCTIFICANS,

Amicitia Dei, Adoptio Divina, &c.

MONITUM.

Mirum profecto eſt in tanta Scriptorum turba, qui de Gratia loquuntur, neminem præter Theologos Scholaſticos juſtum hac de re habuiſſe ſermonem. Et ſane videntur alii gratiam, quæ nos Deo charos efficit, cum illa confundere, quæ mentem noſtram illuminat, ac movet voluntatem; quaſi hæc unum eſſent, & idem, vel cum inter ſe adeo differunt, unum, eumdemque haberent effectum. Alii qui duo hæc gratiarum genera diſtinguunt, ita diverſis utuntur locutionibus, atque ita diverſas, multipliceſque habitualis, atque ſanctificantis gratiæ adſtruunt ideas, ut mens hæreat in ancipiti.

Quamobrem prima Concionatoris de hoc argumento acturi cura ſecernere debet, quid utrique gratiæ ſit proprium, ne Auditor, qui Theologus non eſt, decipiatur, ac putet, Dei gratiam recipere, vel tueri idem eſſe ac aſſentiri bonæ inſpirationi, quæ ratio tantum eſt, per quam aliquis juſtus fieri poteſt, vel in juſtitiæ ſtatu perſiſtere. Itaque auctor eſſem, ne duo hæc tam varia argumenta eadem in Concione pertractanda ſuſciperentur, vel ſaltem, ut in duo ſeorſim puncta dividerentur.

Quod ſpectat ad habitualem, & ſanctificantem gratiam, per quam juſtificamur, & Dei amici evadimus, licet nonnihil de hac attigerimus, cum de nomine Chriſtiani, deque ea dignitate ad quam illuſtris hæc qualitas nos attollit, verba faceremus; curabimus ne repetita crambes enecet, atque ad eum titulum remittemus, qui pluribus indiguerit ad illud, quod ſibi propoſuerit argumentum abſolutiſſime pertractandum.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus Argumenti Syſtemata.

I. (*Serm. in Epiſt. Feſti SS. Trinitatis.*) Docet Sanctus Thomas tria in objecto eſſe conſideranda, ut juſtus ejuſdem conceptus efficiatur; videlicet ejus natura, vel quod in ſeipſo eſt; virtus, vel poteſtas illius; & denique operatio, vel effectus, quos parit. Tria hęc in Gratia ſanctificante conſiderans, in tribus Concionis partibus ejuſdem pretium conabor oſtendere.

Pars prima. Quod pertinet ad hujus gratię naturam, quæ nos juſtos, & Dei oculis acceptos facit; ex Tridentino Concilio didicimus eſſe aliquid inhærens, adnexum, ac permanens in anima juſti; videlicet infuſam. & ſupernaturalem qualitatem, quæ nos uſque ad divinæ participationem naturæ extollit, quemadmodum loquitur Princeps Apoſtolorum; vinculum, quod nos Spiritui Sancto connectit, ac intime conjungit cum Deo, qui jam aliquo modo incipit poſſideri, & alia prorſus ratione, quam reliqua creata, nos poſſidet. Sola hujus rei explicatio gratiæ hujus pręſtantiam oſtendet. 1. Cum ſit qualitas ſupernaturalis, ſublimioris eſt ordinis, quam quidquid vel continetur, vel fieri poteſt in natura, ita ut quidquid Deus non eſt, ad quemcumque pręſtantiæ gradum aſcendere poſſit, illius perfectionem nequeat æquare. Talenta omnia, omnia naturalia bona, eæque animi dotes, quę alicui poſſunt hominum exiſtimationem conciliare, comparari non poſſunt cum minimo gratiæ gradu, quæ nos Deo chariores efficit, quam nobiliſſimos, pręſtantiſſimoſque ſpiritus hac gratia carentes, atque in ſolis naturalibus ipſorum perfectionibus conſideratos. 2. Quædam eſt naturę divinę participatio. Cum enim Deus quaſdam ex perfectionibus ſuis communicet creaturis, ſuper has illas effundens, vel ſinens effluere, puta majeſtatem, potentiam, juſtitiam, aliaſque id genus; illis etiam quodammodo ſuam naturam communicat. licet hæc alteri cuipiam ſit incommunicabilis præter Æternum Verbum, Filium ipſius. Eam tamen juſtis etiam impertit modo ſane ineffabili, ſed reali, & vero per gratiam, qua nos ſibi adoptat in filios nobiſque talem naturæ ſimilitudinem tribuit, qualis eſt inter filios, & eos, a quibus geniti ſunt. Hinc igitur conjice, quanta ſit dignitas, ad quam nos evehit, & quanta mox ſit ejus pręſtantia; *Si ſcires donum Dei &c.* (*Joan. 4.*) 3. Quidam Sancti Patres, quibus plurimi doctiſſimi adhęrent Theologi, arbitrantur, nos ſanctos, juſtoſque fieri non hac ſolum qualitate, quam ſanctificantem dicimus gratiam, & quæ eſt adoptionis noſtrę principium; ſed propria Spiritus Sancti perſona, quæ animæ juſti conjungitur aliqua cum proportione, quemadmodum Verbi perſona cum ſancta Salvatoris humanitate cohęret. Ideo enim, inquiunt, Spiritus Sanctus Donum vocatur; quippe vere donatus, ac miſſus eſt nobis ad noſtram ſanctificationem; nobiſcum moratur, ac in nobis habitat, noſque ſumus ejus templum, eum poſſidemus, & poſſidemur ab eo: qui totidem ſunt termini, & locutiones Spiritus Sancti, unde intelligere poſſumus, quid eſſe in gratia ſignificet. Sin autem opinio hęc noſtram explicans juſtificationem hoc pacto, quod nobis eſt adeo glorioſum, non eſt probatiſſima; attamen ſine ullo metu nimis amplificandi dicere poſſumus, gratiam de qua ſermo eſt ſignum eſſe & characterem adoptionis noſtræ, qualitatem pretioſam, ineffabilem, inæſtimabilem, quæ peculiari ratione nos conjungit cum Deo: unde inferendum eſt, plurimi a nobis eſſe faciendam qualitatem adeo notabilem, adeo pretioſam, & quæ ad ſublimem hunc dignitatis gradum nos evehit, atque in nobis excitandum eſſe vel fervens deſiderium illius acquirendæ, ſi conſcientię noſtrę ſtimulis admonemur, illius jacturam a nobis factam per aliquod lethale ſcelus fuiſſe, vel diligens ſtudium illius tuendæ, ſi eam poſſidemus &c.

BIBLIOTECA CENTRAL

Pars altera. Operæ pretium erit gratiæ hujus virtutem, & poteſtatem oſtendere ex effectibus, quos gignit in nobis, ſtatim ac illam recipimus. Primus eſt delere in peccatore omnia ſcelera, quantumvis enormia, ac multa illa ſint. Licet peccator iſte omnibus, quæ fingi poſſunt, criminibus fœdatus eſſet, atque coram Deo magis eſſet abominabilis, quam omnes dæmones ſimul, minimus gratiæ gradus illum omnino mundare poteſt, cum Deo conciliare, atque animæ eum decorem reſtituere, quem peccatum eidem abſtulerat. Alter eſt, animam infuſis virtutibus, Spiritibus Sancti donis, & iis omnibus, quæ Spiritum Sanctum concomitari ſolent, bonis ornare, atque ea omnia revocare merita, quorum fecerat jacturam. Tertius eſt, peccatori eadem reſtituere jura, quibus exciderat, ea videlicet, quæ habet ad gloriam, Cœlique hæreditatem, eique rurſus eos omnes glorioſos reddere titulos, quos per peccatum amiſerat, amici, ac Filii Dei, membri Jeſu Chriſti, omneſque prærogativas, quarum poſſeſſionem adit mortalis, ſimul ac cum Deo ſuo redit in gratiam. Ex quibus omnibus larga ſuppetit occaſio plurima ad morum diſciplinam referendi.

Pars tertia. Quod tertio in quolibet objecto conſiderandum occurrit, ut æquos ejuſdem conceptus poſſit effingi, eſt operatio, vel ratio agendi huic propria. Et profecto cum gratia ſanctificans in nobis ſit tamquam vitæ principium, propter quod ſancte, & ſupernaturaliter agimus, actiones noſtras attollit, eas Deo acceptas efficit, ubi ad bonum finem, & actualis gratiæ afflatu ſuſcipiuntur; itaut minimæ etiam actiones noſtræ infinitum pretium aſſequantur, æternam mereantur remunerationem, ubi per hanc gratiam attollantur, ſine qua maximæ etiam præſtantiſſimę, difficillimęque pro nihilo in æternitate reputantur, & ne uno quidem gradu gloriam noſtram adaugent. Hinc autem inferendum eſt, ſi operatio rei naturam ſequitur, atque eſſe debet præſtantiæ ejuſdem conformis, actionibus noſtris tuendam eſſe dignitatem filiorum Dei, ad quam nos evehit gratia, a generis noſtri nobilitate degenerandum non eſſe, neque aliquid tanto honore indignum nobis eſſe aggrediendum &c.

II. 1. Gratia ſanctificans eſt ſpiritualis regeneratio; quod fieri nequit, quin mors inferatur peccato, propter quod primum quidem nati ſumus iræ filii, & quod mox fortaſſe funeſtiorem animæ noſtrę interitum attulit, quam ſit corpori mors naturalis, quæ nonniſi per peccatum mundum ingreſſa eſt. Oſtendendum eſt, quanam in re mors animæ, & infelix iſte ſtatus conſiſtat, ad quem per peccatum redigitur anima, & deinde quomodo per gratiam priſtinam recipiat pulchritudinem, primum nitorem, primamque cum Deo ſimilitudinem per eamdem vitam recipiens; atque ita docendum, quam grave, fœdumque peccatum ſit, & quam metuendum ſit nobis, ne gratię jacturam faciamus. 2. Efficit gratia, ut ſupernaturalem, divinamque vitam vivamus, cujus præſtantia oſtendenda eſt ex dignitate filiorum Dei, fratrum, atque membrorum Jeſu Chriſti, ad quam nos attollit; atque docendum quomodo per illam Deus vivat in nobis, & nos propter Deum unice vivere debeamus. 3. Jus nobis confert ad vitæ gloriam, cujus quoddam veluti ſemen eſt; & non niſi per illam aliquando beata æternitate fruemur.

III. In gratia tria peculiariter conſiderare poſſumus, quæ in nobis excitare debent incomparabilem ejuſdem exiſtimationem, flagrantemque illius recuperandæ cupiditatem, ſi forte eadem excidimus.

1. Hujus gratiæ pretium, fructus videlicet laborum, ſanguinis, mortiſque Dei. 2. Dignitas, ad quam nos evehit, amicorum, ſponſarum, filiorum Dei, nobis nativitatem prorſus divinam elargiens. 3. Jus, quod nobis ad cœleſte Regnum, omniaque Dei bona, quatenus ejuſdem hęredibus, confert.

IV. De gratia ſanctificante id dicere poſſumus, quod

Sapiens de Sapientia: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa,* (*Sap. 7.*)

1. Omne bonum utile; Fides, Spes, Charitas, & Spiritus Sancti dona, cœleſtia lumina, divini afflatus, peculiaris Dei protectio, amicitia, necnon tot gratiæ, quæ ſunt primi illius beneficii effecta, ex quo cætera conſequuntur. 2. Bonum honeſtum: *& innumerabilis honeſtas*, Sapiens addit. (*Ibidem.*) Nos Dei amicos, & filios, nos tot Reges efficit, jura inviċtiſſima ad Dei ipſius Regnum habentes. 3. Bonum delectabile; quis enim exprimere poſſet gaudium, quo perfunditur anima teſtimonium ſibi perhibente conſcientia, ſe cum Deo in gratia eſſe, ſe inter amicos illius recenſeri. De hoc gaudio, atque ineffabili hac voluptate judicium ferre poſſumus ex ejuſdem contrario, ſcilicet ex metu, atque tumultu, quem in anima gignunt peccata ab eadem commiſſa, &c.

1. Affinitates, quas nobis gratia tribuit cum Deo. Per hanc evadimus adoptivi filii Dei, animę noſtræ ſponſæ ſunt Spiritus Sancti, corpora noſtra ſunt Templum ejuſdem; fratres, ac membra ſumus Jeſu Chriſti, & ejuſdem Patris filii. Nihil in hoc mundo poteſt nos propiores efficere, atque arctiori vinculo cum illo conjungere, qui ſummum bonum noſtrum conſtituit. 2. Præſtantiſſima bona, quæ ex divina hac affinitate recipimus. Primo efficit, ut peculiari titulo ad illum pertineamus: ſecundo nobis jus tribuit ad omnia bona ipſius; tertio infuſis virtutibus, atque Spiritus Sancti donis nos cumulat; quarto actiones noſtras attollit, æternaque mercede efficit dignas. V.

1. Incertitudo, in qua nos jugiter verſari Deus voluit, utrum in gratiæ ſtatu ſimus nec ne, in jugi humilitate, aſſiduoque metu continere nos debet. 2. Moralis certitudo, quam de hac re poſſumus habere ex eo teſtimonio, quod nobis perhibet conſcientia, ad bene vivendum nos debet inflammare, ac excitare ſpem aliquando poſſidendi illum, qui eſt ejuſdem objectum. VI.

1. Sine ſanctificante gratia nihil pro beata, cœleſtique æternitate meremur, quantumvis magna, & præclara efficiamus. 2. Cum gratia plurimum meremur, licet pauca faciamus, hæc enim peculiariter omnibus actionibus noſtris pretium attribuit. *Ex Morali Dictionario.* VII.

1. Incomparabilis doni excellentia, quo a Deo cumulamur gratiam ſuam elargiente, de qua judicium ferendum eſt ex gradu honoris, ad quem illa nos evehit, ex bonis, atque favoribus, quibus nos ornat, & ſpe æternæ beatitudinis, quem excitat in nobis. 2. Quid nobis faciendum, ut Deo gratum teſtemur animum; quo in pretio a nobis habendum ſit hujuſmodi beneficium; cura, qua hæc gratia ſervanda eſt, vigilantia, ne amittatur, ac dolor eo quod pluries fortaſſe a nobis fuerit amiſſa. VIII.

1. Nihil eſt, quod peccatores facere non debeant, ut iterum gratiæ vitam, ſi illam amiſerint, conſequantur; ideoque illos ejus pretium, meritumque cognoſcere oportet. 2. Nihil eſt, quod juſti pati non debeant, ut illam tueantur, & augeant. IX.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoreſque, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas Concionum ſtructuras exornandas.

Sanctus Auguſtinus, *Tract. 19. in Joann.* oſtendit, Deum eſſe animæ vitam, quemadmodum anima vita corporis eſt; quia nobis actionem, motum, pulchritudinem &c. tribuit. (Sancti Patres.)

Idem, *Serm. 1. de Tempore*, oſtendit, Deum per gratiam non ſolum animam inviſere, ſed in illa permanere, requieſcere, & oblectari.

Idem, *lib. 10. de Geneſi ad litteram* ait, verba Regii Prophetæ, *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur*, (*Pſal. 103.*) intelligenda eſſe de gratia, quæ nos interius inſtituat.

Idem, *in Expoſitione Pſalmi* 67. hæc explicans verba, *Pluviam voluntariam ſegregabit Deus hæreditati ſuæ*, illa de gratia ſanctificante intelligit.

Idem, *Tract. 19. in Joan.* de hac eadem gratia loquitur ſub nomine, & ſymbolo aquæ vivæ, de qua Dei Filius ad Samaritanam mulierem loquebatur.

Sanctus Baſilius, *in Iſaiam, cap.* 8. oſtendit nihil hujus gratiæ meritum æquare poſſe.

Idem, *Hom. 5. in Pſal. 28.* deſcribit ejus animæ bo-

bona, quæ ab omnibus peccatorum ſ[illegible]libus abluta eſt, atque in gratiæ ſtatu invenitur.

Idem, *Hom.* 11. *in Pſal.* 45. animæ, quæ in gratia eſt, hæc Prophetæ applicat verba: *Sanctificavit Tabernaculum ſuum Altiſſimus.*

Sanctus Gregorius, *lib.* 9. *Moral. cap.* 34. oſtendit, quid accidat animæ, quæ Deum amittit amittens gratiam.

Idem, *lib.* 2. *cap.* 3. *in cap.* 2. *lib.* 1. *Reg.* docet, quid faciat gratia in anima, cujus poſſeſſionem Spiritus Sanctus adit.

Idem, *in cap.* 10. *ejuſd. lib.* oſtendit mactationem, quam gratia parit in anima.

Sanctus Athanaſius, *Orat.* 2. *in fer.* docet, quid ſit eſſe Dei filium adoptivum per gratiam.

Sanctus Ephrem, *de Beatitudinibus*, oſtendit præſtantiam hujus gratiæ, eaque bona, & divitias, quibus animam replet.

Sanctus Proſper, *contra Collatorem*, oſtendit, quid in nobis gratia habitualis efficiat.

Origenes, *Hom.* 2. *in Pſalm.* 38. hæc explicans verba: *Advena ego ſum apud te;* docet quanta ſit felicitas, adhærere Deo per gratiam, quanta vero calamitas ab eodem abeſſe.

Idem, *Homil. in Hieremiam*, de Caino loquens deſcribit animæ, quæ Deum amiſit per gratiæ jacturam, tumultum, & calamitatem.

Idem, *Hom.* 6. *in cap.* 6. *Iſaiæ*, exemplo Iſaiæ Prophetæ probat, ubi pretioſum gratiæ donum accepimus, hoc otioſum relinquendum non eſſe.

Sanctus Hieronymus, *lib.* 15. *in cap.* 55. *Iſaiæ*, hæc verba interpretatus, *Quærite Dominum, dum inveniri poteſt*, oſtendit, Deum quærere idem eſſe, ac omni ſtudio ad amiſſam ejus gratiam iterum aſſequendam adniti.

Idem, *in cap.* 2. *Sophoniæ*, oſtendit, animam, quæ gratiæ jacturam fecit, a ſemet eamdem antea poſſidente longe differre.

Idem, *Epiſt.* 4. *ad Damaſ.* loquens de Filio prodigo, *Proferte ſtolam primam*, ait pro hac ſtola intelligendam eſſe gratiam, per quam priſtinam innocentiam recipimus. *Luc.* 15.

Idem, *lib.* 14. *in cap.* 51. *Iſaiæ*, peccatorem excitat ad gratiam, quam amiſerat, recuperandam, & *in cap.* 52. oſtendit pulchritudinem, vim, aliaque bona, quibus ob eam receptam anima eſt perfruitura.

Idem, *lib.* 11. *in Ezechiel. cap.* 36. iterum animæ eadem oſtendit bona.

Idem, *Pſal.* 86. quantus eſt, de anima in gratiæ ſtatu interpretatur.

Sanctus Joannes Chryſoſtomus, *Hom.* 21. *ad Popul. Antioch.* docet gratiam in homine Chriſtiano idem eſſe, quod lumen in mundo.

Idem, *Homil.* 46. *in Geneſ.* illa explicans verba, quæ Scriptura de Iſmaele dicit: *& erat Deus cum puero*; oſtendit, nobis, ſi in Dei gratia ſumus, nihil officere poſſe.

Idem, *Hom.* 24. *in Joan.* hæc explicat Scripturæ verba: *Factus eſt homo in animam viventem*; eaque gratiæ vitam animæ conferenti applicat. *Geneſ.* 2.

Idem, *Hom.* 31. *in eumd. Joan.* eodem in ſenſu explicat verba hæc, quæ Dei Filius Samaritanæ mulieri dixit: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.* *Joan.* 4.

Idem, *Homil.* 50. *in eumdem*, de gratia ea quoque explicat verba: *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* *Joan.* 7.

Sanctus Bernardus, *Serm.* 56. *in Cantica*, explicat, quomodo Deus per gratiam adeſt, & adhæret.

Idem hoc ipſum argumentum *Serm.* 74. *in Cantic.* pertractat.

Idem, *in Serm.* 2. *Paſch.* ea adfert ſigna, unde cognoſci poteſt, utrum anima ſit in gratia.

Idem, *Serm.* 2. *in octav. Paſch.* loquitur de teſtimoniis, quæ habere poteſt anima poſſidens gratiam.

Aſcetici aliique.

P. Ludovicus Granatenſis in Peccatorum Duce cap. 13.

Thomas a Kempis, *lib.* 3. *de Imitat. Chriſti, cap.* 54. & 55.

Euſebius Nierembergius, *lib.* 1. *de adorat. in Spiritu cap.* 1.

Henricus Lamparter, *de præſentia gratiæ Dei.*

Boudon in libro, cui titulus, *Le Chretien inconnu cap.* 6. 7 8. 9. 10.

P. Nepueu Tomo 2. Conſiderationum Chriſtianarum loquitur de incertitudine, utrum ſimus in gratia.

P. Antonius a S. Martino a Porta ex Carmelitarum familia lib. 4. libri, cui titulus, *Les Conduites de la grace*, tractatum edidit de præſtantia, & eſſentia gratiæ ſanctificantis.

P. le Boſſu in primo Tomo de gratiæ uſu ab habituali, & ſanctificante gratia ducit initium.

P. Guilleminot cap. 4. Sapientiæ Chriſtianæ docet, quid de habituali gratia credendum, & judicandum ſit.

Marandè in Theologo Gallo, *Tom.* 2. *Tract.* 3.

Scholaſticos Theologos, qui nimis multi ſunt, prætereo.

Concionatores recentes.

Mathias Faber *in feſto Pent. Conc.* 3. & 4.

P. Duneau integrum hujus argumenti ſermonem habet in Adventu.

P. Texier Sermone pro feria 6. poſt primam Quadrageſimæ Dominicam.

Idem in Sermone Pentecoſtes.

P. Cheminais Sermone de Immaculata Sanctiſſimæ Virginis Conceptione.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta, Sermone de Spiritu Sancto, in Myſteriis, Tomo 1. loquitur de præſtantia vitæ gratiæ, quam nobis Spiritus Sanctus communicat.

P. le Jeune Oratorii Presbyter Tomo 6. Sermonem habet de Adoptione divina, quæ fit per gratiam.

Qui collectanea ediderunt.

P. Ludovicus Granatenſis; *in locis communibus*, Tit. *Gratia.*

Buſſæus, *de ſtatibus hominum; de ſtatu divinæ gratiæ.*

Lohner)
Summa Prædicantium) Titulo *Gratia.*
Labatha)

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & applicationes Scripturarum huic Argumento.

Qui bonus eſt, hauriet gratiam a Domino. Prov. 12.

Gratiam & gloriam dabit Dominus. Pſal. 83.

Neſcit homo utrum amore, an odio dignus ſit. Eccleſ. 9.

Placens Deo factus eſt dilectus: placita enim erat Deo anima illius. Sap. 4.

Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonne tu qui ſolus es? Jobi 14.

Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis; ſi fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur. Iſaiæ 1.

Amice, quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? Matth. 22.

Cito proferte ſtolam primam, & induite illum. Luc. 15.

Si quis diligit me, ſermonum meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Joan. 14.

Ubi autem abundavit delictum, ſuperabundavit gratia: ut ſicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per juſtitiam in vitam æternam. Ad Rom. 5.

Stipendia peccati mors; gratia autem Dei, vita æterna. Ad Rom. 6.

Ipſe Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei. Ad Rom. 8.

Si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Ibid.

Juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu. Ad Rom. 3.

Gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt. Joan. 1.

Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Ad Rom. 8.

Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. Ad Roman. 5.

Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Joan. 3.

Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? 1. ad Corinth. cap. 3.

An neſcitis, quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti, qui in nobis eſt, quem habetis a Deo? 1. ad Corinth. cap. 6.

Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt. Ibid.

Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. 1. ad Corinth. cap. 13.

Qui unxit nos Deus, qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordis noſtris. 2. ad Corinth. 1.

Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus. 2. ad Corinth. 4.

Gratia eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum eſt. Ad Epheſ. 2.

Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum. Ad Epheſ. 1.

Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. Ad Galat. 4.

Non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit, per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jeſum Chriſtum, ut juſtificati gratia ipſius hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ. Ad Titum 3.

Voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut ſimus initium aliquod creaturæ ejus. Jacobi 1.

Deus omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam ſuam gloriam in Chriſto Jeſu. 1. Petri 5.

Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Ibid.

Maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ. 2. Petri 1.

Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & ſimus. 1. Joan. 3.

Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit; quoniam ſemen ipſius in eo manet. Ibid.

Qui ſervat mandata ejus, in illo manet, & ipſe in eo. Ibid.

Deus charitas eſt; & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. 1. Joan. 4.

Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vitæ, gratis. Apoc. 21.

Exempla ex Veteri, Novoque Teſtamento deſumpta.

Adæ exemplum.

Cum primus hominum parens creatus fuerit in originali juſtitia, fuit etiam juſtorum anteſignanus, & primus, qui cum corporis vita animæ quoque vitam accepit, gratiam videlicet, per quam Deus illi adeo bene notata ſimilitudinis ſuæ impreſſit lineamenta, ut quidam Eccleſiæ Pater illum vocaverit, *Limum in Deum ſolidatum*, propter ſimilitudinem cum Creatore ſuo, quam eodem momento recepit, quo manibus ejuſdem fuit efformatus: quod ex Sanctorum Patrum ſententia illa ſignificant verba: *Fecit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam.* (*Geneſ.* 1.) Inveniunt quoque in his verbis myſterium dicentes illum ad Dei imaginem quidem efformatum fuiſſe propter animæ ipſius facultates, ad ſimilitudinem vero propter gratiam, & ſupernaturalia dona, quibus in ipſa creatione fuit cumulatus. Sed heu! malorum omnium origo inde defluxit, quod primus hic homo brevi pretioſum hoc gratiæ donum amiſit; quod omnimodam poſteritatis ſuæ cladem peperiſſet, niſi homo Deus veniſſet in terras hanc imaginem reparaturus, & non oppetiiſſet mortem nobis redditurus, atque hanc gratiam, quæ eſt anima vitæ, promeriturus.

Exemplum Abrahæ.

Quamquam in lege veteri Spiritus Sanctus nondum datus fuiſſet hominibus cum ea affluentia, & effuſione, qua poſtea, attamen non paucis juſtis viris communicatus fuit; & Salvatoris merita, quæ in omnia ſeſe effudere ſæcula, ſanctis etiam Patriarchis, Prophetis, aliiſque pluribus applicita fuere, qui gratiam receperunt, & aſſervarunt, per quam juſtificati ſunt. Non defuerunt etiam nonnulli Deo chariores, quos ille glorioſo amicorum ſuorum titulo decoravit. Talis fuit Sanctus Abraham Patriarcha, Fidelium pater, atque inter antiquæ legis juſtos facile princeps. Hinc S. Chryſoſtomus admiratus, quod Deus dignatus fuerit ſanctum hunc hominem amicum ſuum nuncupare, ait, hominem, cui hoc evenerit, jam omnis ejus magnitudinis apicem attigiſſe, quo humana adniti poſſit ambitio, illum omnes ſuperare laudes, quæ homini deferri poſſunt, atque inde mereri nomen illuſtris, beati, felicis: hic enim titulus ea omnia complectitur bona, quæ in cœlis, ac in terra fingi poſſunt deſiderabilia. At hoc nomine amicorum Dei Jeſus Chriſtus Juſtos omnes appellat, quemadmodum Apoſtolis teſtatus eſt: *Jam non dicam vos ſervos, ſed amicos.* (*Joann.* 15.)

Salomonis exemplum.

Secundo Regum libro c. 12. legimus, a Deo Salomonem amatum fuiſſe initio regni ſui, eique ab eodem inditum nomen Amabilis, ac deinde mentem ejus ſapientia, voluntatem vero repletam fuiſſe juſtitia, æternitate, omnibuſque donis, quæ concomitantur gratiam, quæ terminus eſt, & objectum amoris, quo Deus mortales proſequitur; *Dominus dilexit eum, & vocavit nomen ejus Amabilis Domino, eo quod diligeret eum Dominus.* (2. *Reg. c.* 12.) Ita Deus ubi juſtum hominem ſuo dignatur amore, quamdam illi interiorem tribuit qualitatem, propter quam, qui primum inviſus erat, amabilis fit, & acceptus in oculis ejus, quæ quidem aliud eſſe non poteſt niſi gratia, & virtutes, quæ illam concomitantur; hæc enim una nos dignos efficit divina amicitia. Beatus Salomon, ſi hanc ſervaſſet gratiam, & ſemper Deo fidelis permanſiſſet!

De aliis juſtis antiquæ legis.

Neceſſe non eſt hoc in loco omnes recenſere juſtos, qui in Lege veteri Deo accepti fuerunt; Scriptura numquam tot elogiis quoſdam viros celebraſſet, niſi gratiam poſſediſſent, quæ ſola eos in oculis Dei pretioſos efficere poterat. Satis autem puto illud teſtimonium, quod perhibet S. Paulus illi, qui pro juſtitia perſecutionem ſunt paſſi, videlicet, mundum indignum fuiſſe, qui eos poſſideret: *Quibus dignus non erat mundus.* (*Ad Hebr.* 11.) Et ſane in toto terrarum orbe nihil eſt, quod comparari poſſit cum gratia, quæ nos juſtos, magnoſque in Dei oculis facit.

Eſau gratiam amittentium figura.

Si juſtis, qui gratiam ſervant, jus eſt ad cœleſtem hereditatem, dici quoque poteſt, eos, qui illam amittunt, eamque recuperare negligunt, cœleſtem hanc hereditatem abdicare, & imitari infeliciſſimum Eſau, qui cum pro lentis edulio primogenita vendidiſſet, jacturam hanc nullo habuit in diſcrimine, quæ mox tot eidem lacrymis, & ejulatibus ſtetit: *Abiit parvipendens, quod primogenita vendidiſſet.* (*Geneſ.* 25.) Heu! quam ſæpe flocci facimus gratiam, quæ noſtra ſunt primogenita, & quæ nobis certam feciſſet cœleſtis hæreditatis poſſeſſionem. Nos illam cedimus pro exiguo fortunæ bono, pro fluxa, fragilique voluptate, pro honoris fumo, quin attendamus hoc eſſe pretium ſanguinis, & meritorum Dei, ſignum adoptionis noſtræ, & æternæ beatitudinis arrham. Illud vero magis adhuc miſerum eſt, quod poſtquam animam noſtram venumdedimus, & gratiæ theſaurum amiſimus, nihili, vel ſaltem nauci facimus ſæpe hoc bonum, quod numquam fortaſſe erimus recuperaturi: *Abiit parvipendens, quod primogenita vendidiſſet.*

Verbum Incarnatum, Jeſus Chriſtus, Deus, & homo, noſtræ juſtificationis auctor, quemadmodum illum vocat Apoſtolus, & qui nobis gratiam promeruit, noſque cum Deo reconciliavit peccata delens, non tantum eſt hac in re exemplar, quod nobis ad imitandum valeat proponi, quam ille, ad quem confugiendum nobis eſt, ut gratiam hanc flagitemus, atque obtineamus. Ipſe increata eſt gratia quatenus Verbum Dei; & quatenus Deus-Homo eam nobis ſua paſſione, & morte promeruit. Divinus ejuſdem ſpiritus illam in cordibus noſtris effudit cum charitate, quæ illius comes eſt individua; ac tandem Eccleſiæ ſuæ Sacramenta reliquit, quæ ſunt tamquam totidem fontes gratiam hanc continentes, & adminicula ad eam, ubi amiſſam fuerit, recuperandam.

Beatæ Virginis Deiparæ exemplum.

Quamvis Sanctiſſima Virgo ſanctificantem gratiam ſimul cum eſſentia, & vita receperit, idque non ſine peculiari, ſingularique privilegio, poteſt tamen hominibus tamquam exemplar proponi, ut inde percipiant, quomodo tuenda ſit, ac ſingulis momentis augenda, nec non nova indeſinenter hac ratione beneficia cœleſtia acquirenda. Gratia hæc, qua illa plena erat, Æterni Verbi, a quo in matrem electa eſt, oculos deflexit; Angelus enim, qui feliciſſimum illi attulit nuntium, eam gratiam plenam appellat, quaſi teſtaretur, ideo Deum eſſe cum illa, eamque ſinu ſuo Divinum Verbum eſſe concepturam. Præterea Deipara hæc Virgo nos docet quanti a nobis facienda ſit gratia; maluiſſet enim divina Maternitate, cęteriſque carere bonis, quæ erant cum incomparabili hac dignitate neceſſario conjuncta, quam vel unicum ejus gratiæ gradum amittere, in quo gloriam omnem, omnemque felicitatem ſuam conſtituerat. Poſſumus deinde in hac Matre gratiæ, quo nomine ab Eccleſia vocatur, admirari, atque imitari eam curam, qua pretioſum theſaurum hunc aſſervavit; curam quidem, quæ nihilo minus ſollicita fuit, quam ſi iiſdem fuiſſet obnoxia infirmitatibus, quibus reliqui homines omnem operam tenentur impendere, ne illam amittant. Illud vero ſublimiorem nobis gratiæ hujus ideam debet immittere, quam plerumque nullo in diſcrimine habemus, quod, ex Sancti Auguſtini ſententia, incomparabilis divinæ maternitatis dignitas, ſi ab ea gratia, quæ illam concomitatur, ſejuncta fuiſſet, non commendaſſet tantum Mariam apud Deum, quantum ſola gratia ſine hac dignitate: *Materna propinquitas parum Mariæ profuiſſet, niſi prius Deum corde, quam carne geſtaſſet.*

Exemplum

Inter natos mulierum, Salvator, qui Sancti Præcur-

BIBLIOTECA CENTRAL

S. Joannis Baptiſtæ.

curſoris ſui meritum celebrare dignatus eſt, inquit, *non ſurrexit major Joanne Baptiſta*. Verum quanam re ad ſublimem hunc magnitudinis gradum evectus fuit? Quanam in re poſitum erat hoc meritum, quod tantis meruit laudibus decorari ab eo, qui in judicandis hominum meritis falli non poteſt? Fateberis ſane gratiam fuiſſe, cujus quoddam omen gerebat in nomine, & qua juſtificatus fuit, dum adhuc Matris utero contineretur. In hunc Salvator, antequam etiam naſceretur, primam ejus gratiæ plenitudinem effudit: quam in homines venerat effuſurus; & quemadmodum illam affluenter in illum infudit, qui Præcurſor ſuus erat futurus, quam deinde ſanctus ille vir auſteritate, & ſanctitate vitæ mirum in modum adauxit, ita gratia hęc eumdem magnum effecit coram Deo; cum cętera quęcumque bona, privilegia, prærogativæ magnos tantum efficiant coram hominibus.

S. Pauli exemplum afferentis, neminem certo ſcire poſſe, utrum in gratia ſit.

Quiſnam, ut mihi videtur, certior eſse poterat, ſe in gratiæ ſtatu inveniri, quam Sanctus Paulus? Raptus ille uſque ad tertium cœlum; illi zelus pro gloria Dei; quidquid ad eam provehendam operatus, paſsuſque fuerat; ardens amor, quo Jeſum Chriſtum complectebatur, nonne tuto illum eſſe in ſtatu gratię promittere poterant? Quid ille tamen? *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum*. Quęnam vero cauſa eſt timoris hujus, qui nullam habere cauſam videtur? Hæc eſt, addit ille; qui enim me juſtificaturus eſt, Deus eſt, qui longe alia habet lumina, aliaſque cogitationes, quam homines habeant; *Qui judicat me, Dominus eſt*. Hoc ſane efficere debet, ut jugiter timeamus, trepidemus, atque de nobis humillime ſentiamus.

1. Cor. 4. — Ibidem.

Applicationes.

Quanti facienda ſit gratia, & quam diligenter ſervanda.

SI *ſcires donum Dei*. *Joan*. 4. De ſanctificante gratia æque ac de actuali dicenda ſunt hæc verba; nihil enim eſt, quod nobis magis gratuito donetur, nullus favor, quo altius evehamur, & qui nobis ſit magis neceſſarius; inde omnis noſtra felicitas pendet. *Si ſcires donum Dei*! Anima Chriſtiana, ſi hujus doni pretium cognoſceres, quas pro adeo ſingulari beneficio gratias ageres Deo? *Si ſcires*! Si illud intelligeres, quem non moveres lapidem, ut adeo pretioſum theſaurum quam diligenter ſervares? Qua vigilantia utereris, ne illud tibi præriperetur? *O ſi ſcires donum Dei*! Si noſſes, quantę ſint illecebræ, quantaque pulchritudo ejus animę, quæ per gratiam & charitatem adhæret Deo, quibus oculis hic reſpicit illam, quomodo in illa complaceat ſibi, quæ gaudia illi promittat, quem locum illi in Regno ſuo præparet, ferre ne poſſes tantum decorem aliqua ex parte fœdari? vel ſi eveniret, ut vel minima labe inficeretur, requiem capere poſſes, antequam lacrymis, ac pœnitentia priſtinum eidem nitorem priſtinamque elegantiam reddidiſſes?

Quomodo per gratiam Jeſum Chriſtum induamus.

Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. *Ad Galat*. 3. Hoc eſt, ſecundum S. Pauli ſententiam, ad bene definiendum hominem, qui ſanctificantem poſſidet gratiam, atque ad ejus dignitatem, & pręſtantiam intelligendam; animo concipere oportet hominem repletum, indutumque Jeſu Chriſto, coopertum, & locupletatum bonis meritiſque Dei paſſi. Quamobrem Apoſtolus idem longius provehitur, & audacter ait, unum tantummodo Spiritum eſſe, unamque cum Jeſu Chriſto vitam habere. *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt*. *Vivo autem jam non ego: vivit vero in me Chriſtus*.

1. ad Cor. 6. Ad Gal. 2.

Secundam recipimus nativitatem per gratiam ſanctificantem.

Oportet vos naſci denuo. *Joan*. 3. Ita fere dilectus diſcipulus, Sanctuſque Paulus Apoſtolus loqui conſueverunt, opus eſſe, ut renati per gratiam vita nova vivamus. Et profecto qui hoc pacto natus, & regeneratus eſt, prorſus fit alius ab eo, qui erat. In prima nativitate filius erat iræ, in altera objectum amoris, & in quo ſibi complaceat Deus: in prima nihil erat aliud, quam corruptionis, peccati, & infelicitatis congeries; in ſecunda ab omnibus abluitur ſordibus; virtutibus, ſanctiſque habitibus ornatur, quibus ad bonum, ſanctaſque actiones impellitur. Nova creatura eſt, quæ mores, qualitates, genuſque prorſus mutavit; non enim ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri nata eſt, uti Sanctus Joannes Evangeliſta loquitur, ſed ab ipſo Deo genita prorſus divina induit ſtudia, & ſenſus prorſus alios ab iis, quæ antea fovere conſueverat; &, ut verbo me expediam, homo eſt prorſus novus. *O miracula divinæ regenerationis*! Sanctus, doctuſque Andreas Jeroſolymitanus Antiſtes exclamat.

Serm. 2. de Annunt.

Gratia ſanctificans noſtræ adoptionis eſt ſignum.

In quo ſignati eſtis. *Ad Epheſ*. 1. Animadverſione dignum eſt, de nobis, qui adoptivi ſumus filii Dei poſt receptam gratiam, a Scriptura verba fieri eodem fere pacto, quo loquitur de Jeſu Chriſto, qui Unigenitus ejuſdem eſt per naturam. Etenim Sanctus Joannes de Incarnato Verbo ait, a Deo ſignatum fuiſſe; hoc eſt, Deum impreſſiſſe, & expreſſiſſe in eodem figuram ſubſtantiæ ſuæ, eique propriam naturam, omneſque magnitudinis ſuæ caracteres communicaſſe. Idcirco illum infinito amore complectitur, & facere nequit quominus eum complectatur. Verum ſacer Textus nonne ſimile aliquid de nobis etiam dicit, iiſdemque fere vocibus utitur poſt gratiæ infuſionem? *In quo ſignati eſtis*. Ipſe vos ſigno ſuæ gratiæ notavit, quæ naturæ ſuæ ſimilitudinem vobis tribuit, efficitque ut vos tamquam dilectos ſibi filios, atque oblectationum ſuarum objectum reſpiciat.

ad Eph. 1.

Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. *Sap*. 7. Hæc mortalium ſapientiſſimus dixit de ſapientiæ dono, quo illum auxerat Deus, & ex quo veluti fonte omnia in illum bonorum genera derivarunt; cætera enim erant veluti effectus boni illius, quod ſecum alia quæcumque trahebat. Reor, verba hæc non poſſe melius applicari, quam ſi dixerimus gratiam, de qua loquimur, bonum eſſe, ex quo alia fluunt, fides, ſpes, charitas, virtutes infuſæ, & Spiritus Sancti bona; hęc enim vera bona ſunt; & per illam nos aliquando poſſeſſiones adituros cœleſtium omnium bonorum, ipſiuſque Dei, qui eſſentialiter bonus eſt; ita ut de eadem vere dici poſſit: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*.

Actiones noſtræ, divinæ hujus nativitatis dignitati debent congruere.

Opera, quæ ego facio, ipſa teſtimonium perhibent de me. *Joan*. 10. Opera, quæ me facientem videtis, ſatis probant, quis ego ſim, dicebat olim mundi Salvator Judæis. Sed hoc ipſum quilibet Fidelis deberet dicere poſt acceptam gratiam, & poſtquam ad dignitatem filii Dei fuit evectus. Si enim ſecundum Philoſophiæ præcepta operatio conformis eſſe debet qualitati operantis, quomodo oſtendere poſſumus, nos homines eſſe prorſus divinos, & ad dignitatem filiorum Dei evectos, niſi actiones noſtræ fuerint divinæ huic regenerationi conformes? *Genus electum, & regium regenerationis ſuæ reſpondeat origini*. Originis noſtræ nobilitatem factis eadem dignis debemus oſtendere, alioquin eamdem mentimur. Hæc erat veterum Antiquitatis Heroum cogitatio, Sancto Auguſtino teſte, ut ad gravia capeſſenda facinora ſeſe excitarent; in vulgus proferre, immo ſibi etiam metipſis perſuadere, ſe genus eſſe Deorum. Sed hac in re opus non eſt, aliqua uti ſimulatione, aut noſmetipſos decipere. Ab ipſo Deo divinam nativitatem accepimus per gratiam ipſius; oportet ergo, ut opera noſtra de nobis teſtimonium perhibeant, nobis dignos eſſe ſenſus eo honore, quo per hanc adoptionem decorati ſumus, ac jure nos dicere poſſe: *Opera, quæ ego facio, ipſa teſtimonium perhibent de me*.

Lib. 2. de Civit.

Jeſus Chriſtus in nobis vivit per gratiam, ac ſtatui ejuſdem gratiæ ſe conformare videtur.

Vivo ego jam non ego; vivit vero in me Chriſtus. *Ad Galat*. 2. Cum gratiam accepimus, dicere poſſumus, non ſolum Jeſum Chriſtum efficere, ut vitam novam vivamus, ſed ipſum vivere in nobis: *Vivit vero in me Chriſtus*. Addi etiam poteſt, Jeſum Chriſtum, qui per gratiam in nobis formatus eſt, ut loquitur Sanctus Paulus, ſeſe accommodare, atque conformare ſtatui hujus gratiæ, ejuſque variationes, & viciſſitudines pati. Languet enim in nobis, cum hæc gratia languet; *Chriſtus infirmatur in nobis*; atque per eamdem fortis eſt, cum in ea confirmamur; periculum adit ejus vitæ, quam in nobis habet, amittendæ, cum periculum eſt, ne gratiam hanc amittamus; ac tandem moritur, cum peccatum, quod eſt animæ mors, penitus gratiam extinxit, quæ peculiarem eidem in nobis vitam conferebat.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum ad Argumentum hoc pertinentes.

D*Ei gratia non ſolum omnia ſydera, & omnes cœlos, verum etiam omnes Angelos ſupergreditur*. S. Auguſt. lib. 2. ad Bonifac. cap. 6.

Divinam poſcamus gratiam; nam quidquid aliud petitur, nihil petitur, non quia nulla omnino res eſt, ſed quia tantæ rei comparatione, quidquid aliud concupiſcitur, nihil eſt. Idem in Joannem tract. 102.

Gratia Dei donum Dei eſt; donum autem maximum ipſe Spiritus Sanctus eſt, & ideo gratia Dei dicitur. Idem, Serm. 61. de verbis Dom.

Sicut anima carnis, ſic Deus vita eſt animæ. Idem, Serm. 10. de verbis Apoſt.

Non ſunt in te charitatis viſcera, ſi luges corpus a quo receſſit anima, & non luges animam a qua receſſit Deus. Idem, Serm. 125.

Opus gratiæ eſt ut moriamur peccato, Idem, in Epiſt. ad Rom.

Materna propinquitas nihil Mariæ profuiſſet, niſi felicius Chriſtum corde, quam carne geſtaſſet. Idem.

Sicut primus homo conditus eſt ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, ita in ſecunda generatione, quicumque Spiritum Sanctum fuerit conſecutus, obſignatur ab eo, & figuram conditoris accipit. Divus Hieronymus.

O mira divinæ bonitatis dignatio! ſervi non ſumus digni nominari, & amici nominamur. Gregorius.

Maxima ſecuritas, & inexpugnabilis murus eſt gratia Dei. Chryſoſt. Homil. 46. in Geneſ.

Omnia dona excedit hoc donum, ut Deus hominem vocet filium, & homo Deum nominet Patrem. S. Leo, Serm. de Nativit.

Agnoſce, o Chriſtiane, dignitatem tuam, & divinæ conſors factus naturæ, noli in priſtinam vilitatem degeneri converſatione redire. Idem, ibid.

In veritate dici, nihil æque efficax eſſe ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam ſi omni tempore inveniaris non altum ſapere. Bernard. Serm. 55. in Cant.

Pretioſa eſt gratia mea, non patitur ſe miſceri extraneis rebus, nec conſolationibus terrenis. De Imitat. Chriſti, lib. 3. cap. 53.

Magnam gratiam homines apud Deum haberent, ſi medietatem eorum, quæ pro gratia mundi expendunt, pro gratia Dei expenderent. S. Thomas, Opuſc. 38.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu ad hoc argumentum poſſit depromi.

Habitualis, & ſanctificantis gratiæ definitio.

HAbitualis, & ſanctificans gratia eſt accidens ſpiritualis, & ſupernaturalis, nec non infuſa qualitas, quam Deus effundit in animam, ut eam abluat, juſtificet, acceptamque reddat oculis ſuis, & per quam attollit illam ad qualitatem filiorum Dei, eique jus impertit ad cœli hæreditatem, Deique ipſius poſſeſſionem. Hanc habitualis gratię definitionem Theologi tradunt. Habitualis autem vocatur; eſt enim infuſus habitus, quem ex nobis adipiſci, & mereri non poſſumus, & quem Deus unus in animam noſtram poteſt infundere: Ideo ſupernaturalis eſt, ac nobilior eis omnibus, quę in ordine naturali inveniuntur. Vocatur quoque juſtificans, atque ſanctificans; re enim ipſa animam juſtam, ſanctamque efficit, illam perficit, ornat, charamque facit in oculis Dei, qui deinde illam non amare non poteſt. Præterea habitus eſt, in anima quippe permanenti, ſtabilique modo permanet, poſtquam actuales gratiæ, perfunctorii fidei, ſpei, & charitatis actus illi aditum prębuere, eique ut ita dicam, ſtravere viam. Quemadmodum autem otioſa, & iners eſſe nequit, eſt etiam divinum principium, propter quod ſupernaturaliter operamur, & ſine quo nihil umquam facere poſſemus, quod Cœlum, æternamque mercedem promereretur.

Gratiæ actuales ab habituali differunt.

Non unum intereſt actuales inter & habitualem gratiam diſcrimen. Hæc vero præcipua ſunt. Illæ quidem perfunctoriæ ſunt, & tamdiu permanent, quandiu actus, in quibus conſiſtunt; hæc vero ex natura ſua æternæ eſt perennitatis, & peccatum dumtaxat efficere poteſt, ut ceſſet. Illæ ad bene agendum ſunt omnino neceſſariæ; hæc vero ideo tantum neceſſaria, non ut ſimpliciter bene agatur, ſed ut cum merito bene agatur; homo enim, licet in peccato mortali poſitus, interiores elicere poteſt virtutis actus, opem ferente actuali gratia, atque per hoſce actus ad habitualem recipiendam gratiam ſe diſponere poteſt. Illæ a Deo unice pendent, non autem poſitæ ſunt in noſtra facultate; non enim noſtræ facultatis eſt, utrum Deus hanc vel illam cogitationem, hunc vel illum motum in noſtra excitet voluntate; hæc vero numquam niſi ex voluntate noſtra nobis confertur; quia nemo juſtificatur, niſi velit, præter infantulos, qui rationis uſus nondum participes per Baptiſmum nihilominus juſtificantur. Illæ denique ſunt in facultatibus animæ, intellectu, & voluntate, tamquam proprio ſubjecto; hæc vero in ipſa animæ ſubſtantia, ita ut ſit velut anima animæ noſtræ, efficiatque ut ſupernaturalem, divinamque vitam vivat.

Gratia habitualis, & ſanctificans non eſt ſimplex peccatorum remiſſio.

Gratia ſanctificans, ſecundum ea, quæ anathematis propoſita pœna Tridentina Synodus credenda proponit, non in ſola peccatorum remiſſione conſiſtit; ſed, ut eadem loquitur Synodus, aliquid eſt inhęrens, & divina qualitas in anima impreſſa, & veluti radius luminis omnes animæ maculas delens, ejuſque pulchritudinem augens, quæ formaliter juſtum efficit poſſidentem ſe, non autem per ſolam juſtitiæ Jeſu Chriſti imputationem, ut inquiunt hæretici. Hoc autem Scriptura perſpicue teſtatur, cum ait gratiam eſſe in cordibus noſtris infuſam, eamque vulgo arrham, & pignus Sancti Spiritus vocat.

Gratia habitualis nos cum Jeſu Chriſto conjungit.

Gratia hæc juſtificans, & habitualis nos etiam Jeſu Chriſto conjungit, ut membra capiti ſuo; ita ut quemadmodum omnia humani corporis membra a capite vim, motumque recipiunt, quo opus eſt, ut propriis muneribus perfungantur; ita de Jeſu Chriſti plenitudine gratia, quæ nos efficit omnibus chriſtianis actionibus pares, in eos omnes effunditur, qui per Baptiſmum, aliave Sacramenta mundati ſunt.

Gratia juſtificans cum mortali peccato ſimul eſſe non poteſt.

Gratia hæc talem habet cum mortali peccato oppoſitionem, ut quemadmodum quotcumque, & quantacumque ſint ſcelera ab illa, ubi in animam fuerit infuſa, eluuntur: ita ſtatim ac voluntas uni mortali peccato, cujuſcumque ſpeciei illud ſit, prębuit aſſenſum, omnem, quam habebamus, & per quam in nobis tamquam in Templo, domoque ſua Deus permanebat, ſanctificantem gratiam amittimus; ita ut ob unicam noxam omnimodam ſubeamus jacturam pretioſi hujus doni, quod nos juſtos efficiebat, & ad filiorum adoptivorum dignitatem evehebat, cujus virtute nobiſmet Regnum cœlorum, omniaque gratiarum genera in hoc etiam mundo promittere poteramus.

Utrum gratia ſanctificans differat ab habitu charitatis.

Affinitas, atque arctiſſima unio, quæ inter gratiam, & charitatem invenitur, efficit, ut non ita facile, quid inter utramque diſcriminis intercedat, agnoſcatur. Quæſtio hæc exedram potius, quam ſuggeſtum ſapit; ſed illæ ne realiter diſtinguantur, an ſecus, quæ cognitio Theologorum eſt, abs re non eſt admonere alteram eſſe non poſſe ſine altera, omnes gratiæ prærogativas, & effectus charitati etiam tribui, & viciſſim omnia privilegia, quę in Scripturis charitati tamquam virtutum omnium Reginæ deferuntur, æquo jure ad gratiam quoque pertinere. Ideoque ſi quis dixerit charitatem gratiæ, & gratiam charitatis officio perfungi, multum errare non poterit, quandoquidem Theologi hac de re abeunt in diverſa; neque falli poterit dicens, hæc duo arctis adeo vinculis inter ſe contineri, ut alterius natura explicari poterit naturam alterius explicando, & quamvis altera efficiat ut Deum amemus, altera vero, ut ab eodem amemur, ſemper vere dici utramque ſibi ita cohærere, ut invicem ſeparari non poſſint.

Hujus ſanctificantis gratiæ pręſtantia.

Sanctus Petrus ait, Deum non promiſiſſe ſolum nobis ingentia, pretioſaque dona, verum etiam fidem ſuam præſtitiſſe: *Maxima, & pretioſa nobis promiſſa donavit*. Dei autem dona non aliud ſunt, quam gratia ſanctificans cum infuſis virtutibus, quę pendent ab illa, & dona Spiritus Sancti, quibus nihil in nobis majus eſſe poteſt, nihil pretioſius. At inter hæc dona primum locum obtinet gratia, ab illa enim dependent; nam quemadmodum anima noſtra per facultates ſuas naturales ſuas exequitur operationes, ita gratia per infuſas virtutes, ac dona, ſupernaturales operationes adimplet. Juſtus vivit, & operatur per fidem, ſpem, charitatem, aliaſque virtutes, quemadmodum anima per intellectum cognoſcit, per memoriam recordatur, ac vult per voluntatem. Ita ſicuti anima eſt vitæ naturalis principium, gratia principium eſt vitæ ſupernaturalis; anima numquam ſuis caret facultatibus, neque gratia virtutibus, & donis, quæ ab eodem ſeparari non poſſunt.

Ad quam dignitatem & ita nos evehat.

Finge tibi altera quidem ex parte nobiliſſimos, præſtantiſſimoſque ſpiritus, & quidquid ſublime, & magnum eſt in ordine naturali, ex altera vero unicum gratiæ gradum. Inquient Theologi, hos adeo nobiles ſpiritus non eſſe ſubjectum idoneum ad divinam hujus gratiæ formam recipiendam. Hi non aliud ſunt niſi quod aer ratione luminis, quod illum jam tenebricoſum, fulgidum efficit: ſed minor adhuc proportio inter ſublimes eas mentes, & hunc divinum ſplendorem, quam inter aerem, corporeumque lumen invenitur. Sed gratia ordinis eſt ſuperioris, quam quidquid non continetur ſolum in natura, verum etiam in eadem poſſibile eſt; & quam-

BIBLIOTECA CENTRAL

quamvis Deus in ſingula momenta crearet Angelos, quorum alii alios ſemper novo perfectionis incremento ſuperarent; ii tamen a gratia ſemper ſuperarentur, & numquam eorum natura gratiæ perfectionem æquaret. Hac de cauſa, Sanctus Thomas ait, gratiam quodammodo infinitam eſſe, non abſoluta, ſed relativa infinitate, quæ in hoc poſita eſt, quod in omnibus inferioribus ordinibus nihil ſit, quod cum illa poſſit conferri. Adde his, ſi creatorum entium magnitudo, atque nobilitas deſumitur ex ea ratione, quam habent cum Deo, qui, ut Sanctus Dionyſius inquit, eſt rerum omnium menſura, ita ut quælibet natura eo magis excellat, quo magis ad divinam accedit, & perfectionum ejuſdem particeps eſt; gratia hominem coram Deo maxime attollit, eique propiorem facit, quam aliæ quæcumque fingi poſſunt in ordine naturali qualitates.

Utrum ſola qualitas, & ſimplex necdum, an Spiritus Sancti perſona juſtos, ſanctoſque nos faciat.

Plurimorum Sanctorum Patrum ſententia eſt, quam inſignes quidam Theologi adoptarunt, gratiæ, & charitatis communicationem, eſſe ſubſtantialem ipſius Spiritus Sancti, & mox etiam Divinitatis communicationem; quia non minus data, & miſſa ad nos eſt Spiritus Sancti, quam Æterni Verbi perſona. Itaque juxta hanc ſententiam ſicuti fit ſubſtantialis, & perſonalis unio inter Divinum Verbum, & ſanctam Salvatoris humanitatem; ita per ſanctificantem gratiam unio fiet, non hypoſtatica quidem, & perſonalis, ſed nihilo ſecius vera, & realis inter Spiritum Sanctum, & fidelem animam, cui datus eſt, & communicatus: *Per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*. Quamquam vero hęc ſententia minime ſit omnibus probata, tantum abeſt, illam fidei eſſe contrariam, quod immo pluribus Scripturæ locis, & locutionibus, nec non omnium fere Gręcorum Patrum auctoritati innititur, ac mirum in modum inſervit ad gratię præſtantiam, & dignitatem Fidelium, pretioſiſſimum theſaurum hunc poſſidentium explicandam.

Ad Rom. 5.

Theologi cujuſdam hac de re ſententia. Suarez l. 11. de Deo Trino, & Uno cap. 5 n. 8. & 12.

Gratiæ dona, magni nominis Theologus inquit, hoc proprium habent, quod jure, quod ſibi eſt connaturale, realem exigunt divinarum perſonarum præſentiam in anima, quæ donis hujuſmodi eſt ſanctificata; ita ut hoc poſito, quod omnino fieri non poteſt, quod Deus per immenſitatem ſuam non eſſet ubique, vellet tamen eſſe in hac anima per perſonalem præſentiam, ibique permaneret, donec ibi gratia ſubſiſteret. Unde liquet, eos, in quibus hoc pacto adeſt, illum quodammodo poſſidere: quid enim magis noſtrum eſt, quam ens quod cum nobis intime prçſens ſit, ac ut ita dicam nobiſmetipſis præſtantior, ita etiam nobis per amorem conjunctus eſt, ut vellet in nobis realem habere præſentiam, niſi ex naturæ neceſſitate illam haberet? Quod ſi qui amatur, amantem poſſidet hujus amoris imperio, ac vi; qui eo amore diligitur, quem omnium creatarum rerum amor æquare non poteſt, nonne excellenti quadam ratione poſſidet Deum, quandoquidem infinita majeſtatis ejuſdem ſublimitas minime prohibet, ne hac ratione diligat?

Præſtantia gratiæ illius, quæ nos ita cum Deo conjungit.

Si hæc immenſa ſublimitas, ad quam evehuntur juſti per hanc divinitatis cum ſuis animabus unionem, fidem videtur excedere: quid porro ſanctarum Scripturarum auctoritati reſpondebis affirmantium nos Deos eſſe: *Ego dixi, Dii eſtis vos*; atque in anima eorum, qui ſunt in gratia, fieri realem Divinitatis communicationem: quid reſpondebis S. Paulo in Epiſtola ad Romanos dicenti, charitatem Dei diffuſam eſſe in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis; & alibi, nos fieri Sanctuarium, ubi Deus per Spiritum Sanctum inhabitat? Nonne hoc Dei Filius per S. Joannem illis promiſerat, qui ſua mandata ſervarent: Se, Patremque ſuum in eorum animas venturos eſſe, ibique ſedem ſuam conſtituturos? Nihil melius explicare poteſt, quomodo ſimus filii Dei, & divinam hanc adoptionem declarare, quam dicere, non per infuſionem tantummodo, gratiæque characterem, ſed per peculiarem præſentiam, intimamque divinitatis communicationem hunc effectum haberi. Verum cum per gratiam hæc fiat communicatio, audacter dicere poſſumus, poſt hypoſtaticam unionem nihil poſſe comparari cum unione hac, quam efficit gratia Deum inter, & nos; quamobrem Theologi quidam dixerunt etiam, hujus gratię infuſionem eſſe extenſionem, vel ſaltem incarnationis imitationem; cum hoc tamen diſcrimine, quod unio hypoſtatica facit unitatem ſuppoſiti, atque perſonæ, quod gratia non facit; illa efficit hominem Deum, & filium Dei per naturam; hæc vero filios tantum per adoptionem: ita ut jure cum Sancto Petro, homo qui in gratia eſt, divinæ particeps naturæ queat appellari.

In nobis ſupernaturale principium admittendum eſt, ut ſupernaturales actiones operemur.

Cum aerem denſiſſimis undique circumfuſum tenebris videmus, mox vero lucentem, atque radiis illuſtratum, facile conjicere poſſumus, ipſum non ex ſe claritatem hanc obtinere; ſed hanc ab altiori principio, Sole videlicet, proficiſci; ſi enim lumen ex aeris natura procederet, ibi ſine ullis vicibus permaneret. Ita cum in natura noſtra tot, tamque varios defectus intuemur, cum perpendimus, illam ubi ſua ſequitur ſtudia in vitia proruere; immo etiam ubi ſolam ſine alio lumine rationem ſequitur, intra terminos ejus virtutis ſubſiſtere, cui nihil ſublime eſt; in ſanctis vero ſuper ea omnia quæ Deus non ſunt, attolli; nonne dicendum eſt, ſanctitatem hanc adeo eminentem fluere ex principio, quod eorum captum exſuperat; diſcrimen hoc in ſolis naturæ viribus inveniri non poſſe, ideoque conſiſtere in quadam qualitate, vel habitu, qui cœlitus eiſdem communicatus eſt, & quem ſanctificantem gratiam vocamus, cui etiam comes accedere debet actualis gratia nos excitans?

Duo gratiæ ſanctificantis effectus.

Habitualis gratia vel per Baptiſmum, vel per Pœnitentiam recipitur. Si per Pœnitentiam recipiatur, eidem nos per actuales gratias decet eſſe diſpoſitos, quæ animam præparant ad recipiendam ſupernaturalem hanc qualitatem, quæ homines Dei filios facit: quocumque modo ſit animæ infuſa ſive per Baptiſmum, ſive per Pœnitentiam, ibi tamen ſemper primum effectum hunc operatur. Alter ejuſdem effectus eſt, chriſtianam, & ſupernaturalem vitam reddere, ac Deum flectere, ut animæ det ea ſubſidia, quæ ſunt ad virtutem exercendam neceſſaria, videlicet lumina ad mentem illuſtrandam, inſpirationes ad cor movendum, frænum ad concupiſcentiam compeſcendam, vim ad naturalem infirmitatem, inertiamque ſuperandam. Præterea prodeſt adhuc ad æternam gloriam, propriumque incrementum promerendum.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, Recentioribuſque Concionatoribus loci ad hoc argumentum pertinentes.

Natura, & dignitas gratiæ habitualis & ſanctificantis.

SAnctus Thomas de gratia loquens, ait, illam qualitatum omnium eſſe nobiliſſimam; atque formarum omnium præſtantiſſimam; illam immo nobiliorem eſſe, atque excellentiorem, quam ipſa ſit charitatis virtus, & lumen gloriæ, quod animam evehit, eamque parem efficit Divinitatis ſplendoribus ſuſtinendis; ac tandem ipſa etiam beatifica viſione, hoc eſt claro perſpicuoque Dei ipſius intuitu digniorem. Ratio autem, quam adfert, hæc eſt, quia licet omnes hujus generis qualitates ſupernaturales ſint, divinæ, ac infinite nobiles, tamen non ſunt niſi proprietates, & effectus hujus gratiæ, quæ per ſe ipſam Deo acceptos nos efficit; & quæ cætera omnia in ſui ſequelam perducit; gratia vero formalis eſt participatio, & quidam veluti character, ſignumque divinæ naturæ, quæ eſſentialiter ſancta eſt. Itaque gratia, de qua loquimur, proprie eſt pretium ſanguinis Filii Dei, forma ſupernaturalis, quæ nobis eſſentiam divinam, ac ſupernaturalem ſtatum animæ tribuit, terminus regenerationis noſtræ, noſtræ adoptionis effectus, cauſa noſtrę glorificationis, atque æternę felicitatis. Hoc elogium licet Scholaſticis expreſſum vocabulis communem Fidelium intelligendi facultatem non ſuperat, & neſcio quam ſubliniorem nobis gratiæ ideam poteſt tribuere, quæ pretioſum eſt donum, quo voluit Deus hominis naturam attollere ſuper ea omnia, quę in naturali tantum ordine recenſentur. *Ex libro, cui titulus: De l'Innocence, & de la Grace.*

Gratia nos Deo conjungit, ejuſque amicos efficit.

Deus homo factus non ſolum hunc ſibi finem propoſuit hominem in ea perfectione reſtituendi, in qua primum creatus fuerat, ſed miro etiam modo eum ſibi conjungendi per gratiam, quæ nodus eſt amicitiæ, quam nobiſcum optavit conſociare. Non ſatis eidem fuit illum in ſervorum ſuorum numero recenſere (qui tamen honos eſt imperiis omnibus, ſceptriſque anteferendus), ſed ſervi immutata qualitate, eum ſibi amicum adſcivit: *Non dixi vos ſervos, ſed amicos*. Quid! homo, nihilum hoc, & minus nihilo per peccatum, qui æternis adjudicandus erat ſuppliciis, quæ merebantur ejus flagitia, ad glorioſam amici Dei dignitatem evehitur. Satis mirari non poſſumus, cum ex Scriptura audimus Abraham, tot licet meritis ornatus eſſet, Dei

Dei amicum vocatum fuiſſe, Deum in Exodo cum Moyſe ita fuiſſe collocutum, quomodo amicus cum amico ſermonem miſcere conſuevit; hæ quidem ſingulares, ſed infrequentiſſimæ erant gratiæ, quæ nonniſi viris, quibus eximia eſſent merita, concedebantur; Verum in lege gratiæ, in qua vivimus, glorioſa hæc qualitas Fidelibus omnibus exhibetur, atque permittitur. Deus ipſe eorum amicitiam inquirit; eos urget, atque ſollicitat, ut hoc velint accipere beneficium bonorum omnium, quæ fingi poſſunt, pretio redimendum; ad eos enim hæc referuntur verba: *Non enim dicam vos ſervos, ſed amicos*. Felix Chriſtianus, ſi hoc beneficio bene uti ſciret, ſi a Deo amatus, ſancto ejuſdem amori reſponderet, ſi illum in veritate diligere noſſet. *Mihi nimis honorificati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum*; Regius Propheta exclamabat eam beatitudinem reputans, qua Sancti in Cœlo fruuntur. Sed nonne hoc ipſum dicendum eſſet de Sanctis, qui ſunt ſuper terram? quoniam Dei gratiam atque amicitiam poſſidentes, quæ ipſis jus tribuit ad ipſius regnum, & gloriam, ſervorum conditione diſcuſſa ad amicorum dignitatem evecti ſunt; quod idem eſt ac incipere cum eodem regnare, ſuamque apud ipſum poteſtatem ſtatuere. *Nimis honorificati ſunt amici tui, Deus; nimis confortatus eſt principatus eorum. Deſumptum ex parte ab ignoto Chriſtiano. Boudon, cap. 6.*

Joann. 5.

Pſal. 138.

Gratia ſanctificans nos efficit adoptivos Dei filios.

Cum venit plenitudo temporis, inquit Apoſtolus, miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, eumque Legi ſubjecit, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, & nos adoptionem filiorum Dei reciperemus. Verum adoptio hęc prorſus eſt alia ab ea, quæ inter homines accidit; adoptio enim humana nequit tranſmittere meritum, ſpiritumque adoptionis in adoptivum filium, ut ſit principium vitæ illius, animæ illius, exemplum morum, omniumque actionum ejus prototypus, quod divina prçſtat adoptio. Ideo, inquit Apoſtolus, quia vos eſtis filii Dei, miſit ille in corda veſtra ſpiritum filii ſui clamantem, *Abba*, Pater. Poſt hæc concludit Apoſtolus, nos non eſſe amplius ſervos, ſed filios Dei. Quis honor, quæ gloria Deum in Patrem habere? quæ prærogativa eundem cum Jeſu Chriſto habere Patrem! Ita Salvator Magdalenæ præcipit, ut fratribus ſuis, Diſcipulis nempe, dicat; *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum*; & in ea, quam docuit, oratione, hoc ſe nomine appellari jubet. Nonne hic favor eſt favores omnes, qui animo fingi poſſunt, excedens, hominem a Deo filium, Deum ab homine Patrem vocari, & non ſolum vocari, ſed eſſe? *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, ut filii Dei nominemur, & ſimus. Idem.*

Joan. 20.

Joan. 3.

Non ſatis hæc animadvertitur dignitas, qua ſumus filii Dei.

Heu! quam pauci meminerunt ſe Patrem habere Deum, & ſe vere ejuſdem eſſe filios? Quotuſquiſque veritatem hanc intelligit? Qui illuſtri ſunt loco nati, vitam generi ſuo conformem traducunt; ſummo ſtudio cavent ne ab eodem degenerent, atque in hoc honorem verſari ſuum putant, ſi illud integerrime tueantur; Chriſtiani vero turpiter ad actiones genere, & vocatione ſua prorſus indignas ſeſe ſubmittunt. Nonne ſaltem hac in re idem eſſe deberet de nobilitate, quam nobis gratia confert, & nativitate altera, quam per eamdem recipimus, ac de ſanguinis, naturęque nobilitate? Si hęc ſummis viris adeo generoſos ſenſus immittit, ut ad abjecta, & vulgaria officia ſeſe demittere dedignentur, & eo uſque procedant, ut præ ſuperbia illos contemnant, quos ſub ſe poſitos norunt, Chriſtianus ſuæ nobilitalis, ac dignitatis adeo parcus erit æſtimator, ut illam negligat, atque abjiciat per ſummam indignitatem iis rebus adhærens, quæ prorſus ſuam dedecent qualitatem? *Agnoſce, o Chriſtiane, dignitatem tuam, & divinæ conſors factus naturæ noli in priſtinam vilitatem degeneri converſatione redire*; S. Leo exclamat. *Auctor Anonymus.*

Gratia ſanctificans in nobis eſſe debet vitæ novæ principium.

Verbum Divinum humanam carnem aſſumpſit, atque in mundum venit, non ſolum ut nobis gratiam conferret, noſque Patri ſuo reconciliaret, ſed etiam ut eſſet vitæ novæ principium, novumque in nobis ſpiritum, eaſque diſpoſitiones effingeret, quæ ſunt huic ſtatui conformes; videlicet ſatis non eſt Fideli per gratiam regenerari, debet prçterea vitam vivere, quæ eadem digna ſit, iiſque omnibus perfungi muneribus, quæ illam debent concomitari. Quemadmodum enim ideo vivimus, ut operemur, & aliquem naturali deſtitutum vita dicimus, cum ejuſdem nullum ſignum edit, ſeu motu, ſeu aliqua actione; ſimiliter gratia, quæ in nobis eſt vitæ novæ prorſus ſupernaturalis, ac divinæ principium, nobis data non eſt, ut otietur, ſed ut ſanctas producat actiones, ſanctas cogitationes, ſancta deſideria; ut verbo me expediam, actiones, quæ Deum pro principio habent, eumdem etiam pro fine, & objecto habeant; alioquin de nobis dici poteſt, quod dilectus Diſcipulus in Apocalypſi cuidam dicit Epiſcopo, qui gratiam amiſerat: *Nomen habes, quod vivas, & mortuus es*. Nomen habes, externamque Chriſtiani hominis ſpeciem; quibuſdam etiam exterioribus perfungeris muneribus, quæ ſpecioſo huic nomini inhærent; ſed cum hoc ex interiori principio minime proficiſcatur, quod charitas eſt, & gratia habitualis, vitæ dumtaxat, hominiſque viventis nomen habes: ſimilis es automati, quod occultis movetur machinamentis, ſed cum motum & actionem ex ſe ipſo non habeat, vivens appellari non poteſt. Cognoſces autem, utrum vivas hac vita gratiæ, vita hac ſancta, & divina, de qua ſermo eſt, vitam, quam modo vivis, cum ea comparans, quam antea vivebas, cum inter flagitia Dei inimicus volutabaris. Prima illa vita nullum habebat motum, niſi ut voluptates, honores terræque hujus bona conſectareris; vide an altera hæc propter Deum, cœleſtiaque bona tantummodo operetur. Prima illa efficiebat, ut commoda, utilitates, reſque tuas tantummodo inquireres; vide, utrum nunc iis ſolum afficiaris, quæ Deo placere poſſunt, quæ ad illius gloriam provehendam pertinent, quæ propiorem in amicitia ejuſdem gradum tibi poſſunt comparare. Prima illa mundo, periturisque tantum rebus inhærebat; ſecunda hæc æterna tantum bona debet inquirere. Hinc intelliges utrum divina, & ſupernaturali vita vivas, quæ, ut S. Paulus ait, novas nos efficit creaturas. *Idem.*

Apoc. 3.

Coram Deo ſola gratia magnos nos facit.

Inde ſublimem inęſtimabilis felicitatis, qua gratiam poſſidentes perfruimur, ideam debemus concipere, quod illa unica res eſt, quam Deus ipſe habeat in pretio, & quæ in oculis illius nos acceptos efficiat. Itaque licet alias quaſcumque animi, corporiſque perfectiones, omnia dona, potentiam, pulchritudinem, ſapientiam, perſpicacitatem, & quidquid hominum admirationem, plauſuſque conciliare poteſt, poſſideremus, & hoc pretioſo gratię dono careremus, nihil omnino eſſemus coram Deo, cujus judicium, atque æſtimatio norma eſt earum rerum omnium, quæ magna, æſtimandaque ſunt; poſſumuſque ſemper cum Apoſtolo dicere, ſine charitate, quæ vel idem eſt, ac gratia, vel quę a gratia ſeparari non poteſt, nos nihilum eſſe. *Si charitatem autem non habuero, nihil ſum*. De hac tamen (Fideles) ex ejuſdem contrario judicium feramus: quænam res dæmonem efficit adeo abjectum, contemptibilem, creatarumque rerum omnium infeliciſſimum, cum antea perfectiſſimus, atque prçſtantiſſimus eſſet omnium? Quoniam una gratia dempta, quam per ſcelus, & improbitatem amiſit, poſſidet adhuc eadem omnia bona, & naturales prçrogativas, quas ante rebellionem ſuam poſſidebat; namque reipſa dęmonum minimus magis perſpicax eſt, quam feliciſſimum, quod umquam extiterit ingenium, & fortaſſe etiam, quam omnes homines ſimul. Omnes naturæ opes in manu illius ſunt, eæque illi a Deo traditæ videntur: ipſe occultiſſimas rerum virtutes callet, ipſe ſcientarum omnium clavem tenet, ipſe quidquid in terris umquam contigit, habet exploratum. Tamen licet ſcientia, divitiis, & poteſtate affluat, licet tot naturalibus perfectionibus ornatus ſit, quia ſolam amiſit gratiam, omnium eſt infeliciſſimus; & tot, tantaque bona, prioris fortunę reliquię, nihilum proſunt; & gratia, quæ illi deeſt, eumdem calamitoſiſſimum facit, quin mundi totius imperium, quod illi Dei Filius tribuere videtur, jacturam hanc vel reparare valeat, vel imminuere. Nonne hoc illud eſt, o Fideles, quod dico, nihil poſſe nos coram Deo magnos efficere prçter gratiam, quæ vita appellatur? non ſolum nobis novam vitam impertit, verum etiam quod, quemadmodum vita eſt cçterorum bonorum fundamentum, ita gracia nobis jus confert ad cçtera cœleſtia, ac ſupernaturalia bona, quæ ſola vera ſunt bona. *Idem Auctor Anonymus.*

1. ad Cor. 13.

Gratia nobis jus tribuit ad gloriam, ac regnum cœleſte.

Adde his, propter divinam adoptionem, quę fit per gratiam, nobis conferri jus ad regnum cœleſte, omniaque Dei bona. Etenim, quemadmodum Apoſtolus inquit, ſi Dei filii ſumus, neceſſaria illatione ſumus etiam hçredes: *Si filii, & hæredes*. Itaque cum gratiam in animas noſtras effundit, ut ſit ſignum, & caracter noſtræ adoptionis, nobis jus tribuit ad regnum ſuum, hæredes facit omnium bo-

BIBLIOTECA CENTRAL